



Feria v. Die 31. Augusti Anno à Natiuitate D. N. Iesu Christi M. D. C. X V I I.

In Generali Congregatione S. Romanæ, & Vniuersalis Inquisitionis, habita in Palacio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. D. PAVLO
Diuina prouidentia Papa Quinto.

SAINTISS. D. N. post longam, & maturam discussionem auditis votis Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium cōtra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum re accurate, ac diligenter perpensa prouidē considerans, quod quamuis in Constitutione fel. rec. Sixti IIII. super Concepcionē Beatiss. Virginis MARIAE pro submouendis inter Christifideles scandalis, rixis, & cōtentioñibus edita, à Sancta Tridentina Synodo innouata, & deinde in alia Constitutione 8^{ma} me. Pij V. super eadem re, quas similiter Sanctitas Sua innouauit cū quibusdam prouisionibus, & adiectionibus pœnarum pro efficaciori earum obleruatione, relinquatur vnicuiq; libera facultas tenendi, & etiam afferendi vtramq; partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, aut hæretica dāatur, nihilominus ex occasione assertionis affirmatiuē in publicis Concionibus, Lēctionibus, Conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima V I R G O fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in populo Christiano cum magna offensa, scandalis, iurgia, & dissensiones. Propterea volens huiusmodi scandalis ex debito sui muneri prouidere, decreuit, & præcepit, ac prælensis Decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis cuiusvis ordinis, & instituti Regularibus, & alijs quibuscumque tam Ecclesiasticæ, quam sacerularibus personis cuiusvis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sacerularis etiam si specialis, specifica, & individua earum esset necessario mentio facienda, ut in posteris in donec articulus huiusmodi à S. Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem Suam, & Sedem Apostolicam fuerit alterius ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, Lēctionibus, Conclusionibus, & alijs quibuscumq; actibus publicis assertere, quod eadem Beatissima V I R G O fuerit concepta cum peccato originali. Contrafacentes autem eadem Sanctitas Sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit Censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamen prouisionem Sanctitas Sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei illum prorsus præjudicium inferre, eam relinquent in eisdem statu, & terminis, in quibus de presenti reperitur, præterquam quoad supra disposita. Ulterius sub eisdem censuris, & pœnis mandans, quod negatiuam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali in prædictis publicis actibus afferentes aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illesæ remaneant, & exactè obseruantur perinde, ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decreuit, & mandauit vbiq; inuolabiliter obseruari, non obstantibus in hac parte supradictis Constitutionibus, & alijs omnibus in contrarium facientibus. Volens, & decernens pro obleruatione & executione præsentis Decreti, & omnium in eo contentorum, quod contra huiusmodi transgressores etiam Regulares cuiusvis Ordinis, & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascumq; Ecclesiasticas, & sacerulares personas cuiuscumq; status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sacerularis, tam Episcopi, & Praedicatorum, Superiorum, alijsq; Ordinariorum locorum, quam hæreticæ prævitiatis vbiq; locorum deputari Inquisitores procedant, & in eos sepe animaduertant, tribuens eis, & eorum cuiilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coercendi, & puniendi. Voluit demum, ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi posset, quod præsens Decretum, seu illius exempla ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixa, ita arctent, & afficiant perinde, ac si vnicuiq; personaliter intimata fuissent, quodq; præsentium transumptis etiam præmissis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ muniris, eadem prorsus fides adhibetur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pettini Sancta Romana, & vniuersalis Inquisitionis Not.

Anna Natiuitate D. N. Iesu Christi 1617. Indictione xv. die vero 12. mensis Septembbris, Pontificatus autem S. mi in Christo Patris & D. N. D. Pauli Diuina prouidentia Papa Quinti anno 13. prætens Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicae Principis Apostolorum, & in acie Campi Flore, per Inc. Franciscum de Clericis S. mi D. N. Papa Cursorem.

Siluerius Pontirolus Mag. Curs.